



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Codratus M. 10. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

quos vident levare puras manus in oratione: holocaustum sanctæ devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. S. Bern. hom. 3. super Missus.

S. CODRATUS M. 10. Martii.

A Deste & aures advertite, qui matrem, qui ubera matris, & sinum claudis molliculi: suum etiam Superis lac est. Matrem CODRATUS in cunis amisit, neque tamen non molliter est educatus. Etenim nube miraculosâ implicitum Numen fovit, & ambrosiâ scilicet enutrivit delicatum. O pluribus cæli hanc instillate, plures ut CODRATOS habeamus! Nimirum a cælo lactatus cælum sapuit, cælum spiravit CODRATUS, & cæli amore, etsi medicus aliorum prolongaret, suam ipse tamen vitam imò mortem contempsit. Ecce enim verberant crudelem in morem CODRATVM tortores. Aërem, non CODRATVM, verberant. Nunc minas Jason Præfectus, nunc blanditias ingerit & promissa. Surdus est Martyr. Raptatur cum sociis ad supplicii locum. Ad epulum ire sibi visi sunt, atque ut scires, quanto gaudio imbuti, cum cantu ivere, & illo, si iudices vel Cælitum aures rogasses, longè suavissimo. Jam verò cum capite sunt truncati, gaudio demum diceret exsiliisse. Terra quoque applaudens eo in loco, quem sanguine pinxerunt, fontè reddidit, sed qui Christianorum pro Christo mori volentium non pellet, sed accenderet sitim. *Ex Surio.*

Si vis habere ministeria Angelorum, fuge consortia seculi, & tentationibus resiste Diaboli. Renuat consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. S. Bern. serm. 4. in Ps. Qui habitat.

SS. MAR.